
VI. *Barometri novi descriptio, a D. G. Fahrenheit, R. S. S.*

IN recensione experimentorum nonnullorum circa ebullitionem quorundam liquorum a me factorum mentionem feci, gradum caloris aquæ ebullientis termino tunc memorato, 212 nempe graduum coerceri; postea variis observationibus atque experimentis edoctus sum terminum hunc, manente eadem atmosphæræ gravitate, satis fixum esse, sed variante gravitate atmosphæræ hunc terminum quoque diversimode variari posse. Experimenta in hunc scopum jam facta nunc quidem tradere, sed quoniam adhuc de certis circumstantiis edoctus esse velim, hinc recensionem illorum usque in aliud tempus reponam, & interea solummodo thermometri alicujus mentionem faciam, quod forsitan si non magis, tamen æque idoneum erit ad explorandam atmosphæræ gravitatem, quam barometrum. Hujus delineatio in Figura VIII. est apposita.

Cylindro A B annexitur tubus B C, cui additur globulus oblongus CD, & huic tubulus gracillimo foramine praeditus D E. Cylindrus liquore quodam, qui calorem aquæ ebullientis perferre potest, replebitur. In tubulo B C, gradus caloris in aere obvii mensurabuntur ope scalæ affixa b c. Si autem thermometrum hocce aquæ bullenti imponatur, liquor thermometri non solum globulum CD implebit, sed etiam usque ad terminos varios tubuli D E assurget, secundum gradum caloris, quem aqua tempore experimenti a gravitate atmosphæræ acquisitura est. Ita, si, exempli gratia, tempore experimenti altitudo mercurii in barometro sit 28 pollicum Londinensium, liquor in hocce thermometro attinget inf-

infimum locum in tubulo D E ; Si vero gravitas atmosphæræ æquipolleat altitudini mercurii triginta & unius pollicum, liquor a calore aquæ ebullientis usque ad locum supremum tubuli D E attolletur, termini varii autem caloris aquæ ebullientis non gradibus, sed illorum loco numeris digitorum, quibus altitudo mercurii in barometris vulgo mensuratur, ope nempe scalæ additæ de denotabuntur.

VII. *Observatio Lunaris Eclipsis habita Ulyssipone in Palatio Regio Die 1. Novembris 1724. A PP. Joanne Baptista Carbone, & Dominico Capasso, Soc. Jesu. Communicante Excellentissimo Domino, Dno de Galvaon, Commendatore Villæ Meam & Francæ, Equ. Ord. Christ. Legato Sereniss. Reg. Portugall. ad Sereniss. Regem Magn. Britan. S. R. S.*

Observavimus hanc Eclipsem Telescopiis, altero quidem Pedum Parisinorum 8. sed clarissimo, altero 10. sed minus claro : utroque tamen lunares maculae perfectissimè discernebantur. Ad temporis dimensionem usi sumus Horologio oscillatorio, vulgo *Pendula*, satis exacto, pluribus ante diebus in ipso observationis loco firmato, & quotidiano examine per meridianam lineam, ibidem a nobis iamdiu inventam, & pluries examinationam, ad medium Solis motum quam proxime reducto. Nocte vero ipsius Eclipsis ter illud ad trutinam revocavimus, ut ejus a vero tempore discordiam deprehenderemus. Primo in transitu *Fomalantis* per Meridianum, Hor. 8. M. 17. Sec. 18. Secundo in transitu *Rigel* seu *Pedis Lucidi Orionis*, Hor. 2. M. 35. Sec. 21. Tertio

Philosoph. Transact. N^o. 385.

